



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Vnctione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

ANABAPTISTAE autem una cum ministerio contemptum ordinationem, fingunt expectandas esse novas revelationes & illuminationes à Deo, easque petendas magnis macerationibus corporis, sicut monachi, & olim ἔθνη σιωπῆς sixerunt. Hæc fanatica deliramenta execranda sunt. Oriuntur autem ex falsis persuasionibus de doctrina legis, & ex ignorantione doctrinæ fidei. Nos contra scimus Deum immensa bonitate patefecisse voluntatem suam in Evangelio, nec alias illuminationes quærendas esse, sed fidem & invocationem ministrari, hoc ipso Evangelio nobis exhibito, & Deus vult esse publicum ministerium, idque mirabiliter conseruat, & subinde reponere ad hoc Evangelium exhibitum, sciamus Ecclesiam alligatam esse, ut dicit Paulus Ephes. 4. his verbis: Institutum esse ministerium Evangelij, ut Evangelium conseruetur, ne circumferamur omni doctrinæ.

## CONFIRMATIO.

OLIM fuit exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant sententiam doctrinæ, & ostendebant se dissentire ab Ethnicis & hæreticis. Erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos profanos, ut admodum utilis. Postea fiebat publicæ precatio, & Apostoli imponebant eis manus. Ita donabantur manifestis donis Spiritus Sancti. Sed nunc ritus Confirmationis, quem retinent Episcopi, est prope otiosa ceremonia. Utile autem esset, explorationem & precationem doctrinæ fieri, & publicam precationem pro pijs, nec ea precatio esset inanis.

## DE VNCTIONE.

VNCTIO olim curatio medica fuit. Nam Deus ut autoritatem quam Patribus & Prophetis circumdaret, inde usque ad imbecillos nauit eos dono sanandi, ut Abraham, Isaac, Iacob, Iesajas, & alij viri professione medici fuerunt. Estque per hos viros, una cum doctrina veræ religionis, propagata doctrina physica de plantis, & animalium naturæ partibus. Hunc veterem morem renouauit Christus, cum misit Apostolos, iussit eos moderari ægrotos, & instruxit dono sanandi. Hoc donum mansit in Ecclesia etiam postea, & certum est, ægrotos precibus Ecclesiæ sanari. Hæc moneri vtile est, ut discamus donum esse corporis incolumitatem, quam tribuit ut alijs infirmis. Hanc vult peti, & quadam diligentia foueri. Sed ritus nunc qui nunc est, tantum est superstitiosa ceremonia: & accedens tuorum invocatio, quæ est impia. Ideo vnctio illa cum suis precibus reiicienda est.